

Author: Gaudentius, Paganinus

Title: Viro Clarissimo Ioanni Baptistae Donio

Editor: Massimo Redaelli

Source: Florence, Biblioteca Marucelliana, MS A.290, f.<1r>-<1v>

[Septembri 1647. in marg.] Viro Clarissimo Ioanni Baptistae Donio  
Paganinus Gaudentius

Vir Clarissime. Ex doctissimo nobilissimoque Nicolao Heinsio magis ac magis intelliges quanti te faciam, et quantopere de tua erga me benevolentia glorier: bibimus profecto pluries tuae salutis, et perennitati [[tradimus etiam]] traditurus etiam eram exiguum Epigramma [epigramma ante corr.] tibi reddendum; sed dum ipse parat abitum non sine magno animi mei moerore, non potui illud absoluere, quod iam tibi mitto, non quale ipse mereri, sed quale hoc quidem tempore potuit a meo amore de te dictari. Eius ergo tenuitatem excusa, et uale cum clarissimo Heinsio nostro. Pisis XV. Kalendis Septembris MDCXLVII. tui clarissimi nominis cultor perpetuus.

Palladiae, DONI, Deus immortale catervae,

DONI, florifori gloria magna Chori

Quam uolupte est gratari splendore coruscam

Perpetuo famam, flammicomumque diem!

[-<f.1v>-] Quem tibi de Veterum cantu fidibusque lyraque

Emissus peperit vindice luce liber,

Vt procul invidia [[pulsis]] [iussis corr. supra lin.] procul ire latebris

Immenso ceu Sol lumine cuncta beas.